Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26074
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uult uiuificat. Non utique alios filius alios pater. sed eosdem
pater et filius. quia omnia pater per filium. Nemo ergo dubitet
qui christianus est. etiam nunc mortuos suscitari. Sed omnis
homo habet oculos quibus uideri potest mortuus resur
gens. ita ut resurrexit filius huius uidue qui modo ex euan
gelio recitatus est. Unde autem uideant homines resurgere
mortuos in corde non omnes habent nisi qui iam resurrexerunt
in corde. Amplius est resuscitare semper uicturum. quam
suscitare iterum moriturum. De iuuene autem illo resus
citato gauisa est mater uidua. De hominibus in spiritu coti
die suscitatis gaudet mater ecclesia. Ille quidem mortuus
erat corpore. illi autem mente. Illius mors uisibilis. uisi
biliter plangebatur. illorum mors inuisibilis. alibi nec que
rebatur nec uidebatur. Quesiuit ille qui nouerat mor
tuos. ille solus nouerat mortuos qui poterat facere ui
uos. Nisi enim ad mortuos suscitandos uenisset. non apostolus
diceret. Surge qui dormis. et exsurge a mortuis et inlu
minabit te christus. Dormientem audis cum dicit. Surge qui
dormis. sed mortuum cum audis intellige. Exurge a mortuis.
Dicti sunt sepe dormientes et mortui uisibiliter. et plane
omnes ei qui potest excitare dormiunt. Mortuus
enim tibi mortuus est. qui quantum libet pulses. quantum
libet uellices. quantum libet lanies. non expergiscitur. Christo
autem ille dormiebat. cui dictum est. surge et continuo sur
rexit. Nemo tam facile excitat in lecto. quam facile christus
in sepulchro. Tres autem mortuos inuenimus a domino re
suscitatos uisibiliter. milia inuisibiliter. Quot autem uisibi
les mortuos suscitauerit. quis nouit. Non enim omnia
que fecit scripta sunt. Johannes hoc dicit. multa alia fecit

R. bn.
in uia tua uiuifica me.